



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. De aptitudine naturæ vniuersalis Metaphysicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

fit quod paries sit albus vel non sit albus, tamen non est verum dicere quod sit albus essentialiter, aut quod non sit albus essentialiter, neque enim albedo aut negatio albedinis est de essentia ipsius, licet possit dici quod non sit albus essentialiter negativè, hoc est quatenus verum est, quod albedo non sit de essentia ipsius. Et eodè sanè modo natura humana, quæ est in Petro, vt consideratur ab intellectu, quatenus natura præcisè per ordinem ad prædicata sua essentialia & proprietates, non habet esse illam naturam, quæ est in Paulo, neque non esse illam, quia neque idètitas ipsius cum natura Pauli, est de conceptu ipsius vt sic, neque non idètitas; neque enim potest considerari cum idètitate ad naturam Pauli, neque cum negatione idètitatis, quin consideretur ipsa natura Pauli; quatenus autem consideratur natura Petri vt natura humana præcisè, hoc est vt animal rationale, non consideratur vt habens idètitatem cum natura Pauli, neque vt non habens idètitatem, licet realiter habeat negationem idètitatis positivæ, & realis cum natura Pauli, & præterea vnitatem formalem, hoc est similitudinem cum natura Pauli, & conceptibilitatè per conceptum, qui repræsentare possit æque vtrâque naturam.

45 *Obiicies secundò*: Illa vnitatis similitudinis non sufficit, vt natura possit prædicari de pluribus formaliter prædicatione dicente: hoc est hoc; sed vnitatis requisita ad vniuersalitatem debet sufficere ad hoc; ergo alia vnitatis præter vnitatem similitudinis aut repræsentabilitatis debet concedi naturæ, vt sit vniuersalis.

Respondet distinguendo maiorem: si ad hoc vt aliquid dicatur prædicari de pluribus, requiratur quod ipsummet, quod prædicatur de pluribus, insit positivè in illis pluribus, concedo maiorem: si solum sufficit ad hoc, quod id ipsummet, vel aliquid ipsi simile & repræsentabile eodem conceptu sit in illis pluribus, nego maiorem; & similiter distinguo minorem: vnitatis requisita ad vniuersalitatem debet sufficere, vt aliquid prædicetur de pluribus formaliter ita, vt ipsummet positivè secundum se sit in illis pluribus, nego minorem: ita vt ipsummet vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in illis pluribus, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur quod vniuersale sit in multis, & de multis prædicabile formaliter, non est hoc sic intelligendum, quasi vnum aliquid positivè reperiretur in multis, & prædicaretur de ipsis, quia sic non daretur natura vniuersalis; & propterea Nominales, quia existimauerunt naturam vniuersalem debere hoc modo inesse multis, & prædicari de multis, si daretur, consequenter optimè negauerunt dari naturam vniuersalem. Sed decepti sunt existimantes quod natura vniuersalis sic deberet esse in multis, & de multis prædicabilis: cum tamen sufficiat, vt dictum est, quod vel secundum se, vel secundum aliquid simile sit in multis & de multis prædicabilis; quod bene advertendum est, vt controverfia cum Nominalibus, ablata æquivocatione, & quæstione de nomine, faciliè componi possit.

46 *Obiicies tertio*: Hæc vnitatis similitudinis est à parte rei, ergo vnitatis vniuersalis est à parte rei; sed hoc est contra communem sententiam, & Scotum etiam expressè supra in 2. d. 3. q. n. 8. ergo vnitatis requisita ad vniuersalitatem non consistit in illa vnitatis similitudinis, aut conformitatis aut repræsentabilitatis per eandem speciem.

Respondet distinguendo consequens: natura vniuersalis metaphysicè fundamentaliter & remotè, concedo consequentiam, nec hoc est contra Scotum aut communem, formaliter & proximè, nego consequentiam.

Insistit: nihil requiritur vt sit proximè & formaliter vniuersalis, quam quod habeat vnitatem requisitam ad vniuersalitatem: sed habet hæc à parte rei secundum nos, quandoquidem consistat in illa similitudine seu repræsentabilitate, quæ est à parte rei, ergo non solum vniuersale metaphysicum datur fundamentaliter & remotè à parte rei, sed proximè & formaliter.

Respondet, negando maiorem, nam requiritur vltèrius vt sit proximè vniuersalis, quod sit abstracta à sin-

gularitatibus: non est autem abstracta à singularitatibus, nisi vt consideratur ab intellectu præcisè secundum se, non considerando ipsam vt affectam singularitatibus: quia si consideretur natura Petri vt affecta singularitate Petri, videbitur vt distincta à natura Pauli, & consequenter non videbitur vt indifferens secundum se formaliter ad hoc vt prædicetur de Paulo: licet enim secundum se etiam à parte rei, quatenus distinguitur à singularitate sit sic indifferens; tamen quia coniungitur cum ipsa à parte rei singularitas sua, per quam formaliter determinatur ad esse distinctum à Paulo & natura Pauli, propterea non potest dici, quod, vt est à parte rei, sit simpliciter indifferens, sed vt consideratur ab intellectu secundum se, non considerata eius singularitate, potest dici vt sic simpliciter indifferens, quia non habet in intellectu sic considerante impedimentum singularitatis. Quæ doctrina est de mente Doctoris supra, & communis sententiæ.

QVÆSTIO III.

De aptitudine naturæ vniuersalis metaphysicæ.

47 *Am* examinabimus secundam particulam positam in definitione vniuersalis, nimirum quod sit aptum inesse multis, & explicabimus quam aptitudinem inexistendi multis debeat habere, quod ex suppositione resolutionis datæ quæstione præcedenti non est difficile, nec habet ullam controverfiam, nisi dependentè à controuersis quæstionibus præcedentibus: vnde non est necesse sententiis aliquas hic referre. Pro maiori tamè claritate.

Advertendum, per aptitudinem inexistendi multis, nihil aliud nos intelligere, quam potentiam, seu non repugnantiæ naturæ ad inexistendum multis, siue illa potentia sit naturalis, id est cum inclinatione naturæ, siue violenta, id est contra inclinationem ipsius, siue neutra, id est neque cum inclinatione, neque contra inclinationem naturæ.

CONCLUSIO I.

48 *Natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis, quam quod possit dari alia natura sibi similis, potens representari per eandem speciem, qua repræsentatur ipsa.* Hæc sequitur ex dictis, quia natura vniuersalis metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis quam talem, qualem habet natura humana verbi gratia ad existendum in Petro & Paulo: sed illa aptitudo non est alia, quam quod non repugnet naturæ humanæ, quæ est in Petro, habere aliam naturam sibi omnino similem, quæ potest representari per eandem speciem, per quā ipsa repræsentatur, vt patet ex dictis: ergo.

Confirmatur, quia propterea natura diuina non habet aptitudinem requisitam ad vniuersale metaphysicum, quia non potest dari alia natura ipsi omnino similis, quæ possit representari per eandem speciem, per quā ipsa repræsentatur; ergo sufficienter erit aliquid aptum aptitudine requisita ad vniuersale metaphysicum, si potest dari alia natura ipsi omnino similis, repræsentabilisque per eandem speciem, per quam ipsum est repræsentabile.

CONCLUSIO II.

49 *Datur à parte rei absque aliqua fitione vel operatione intellectus huiusmodi aptitudo in natura à parte rei existente.* Probatur, quia alias non daretur à parte rei natura, quæ posset denominari vniuersalis. Probatur secundo: quia alias non darentur naturæ similes à parte rei, contra omnem experientiam. Probatur sequela, nam si repugnaret naturæ habere aliam naturam sibi similem, non posset habere naturam sibi similem.

CONCLUSIO III.

50 *Illā aptitudo formaliter est respectus aptitudinalis similitudinis, quem dicit natura ad aliam naturam sibi similem.* Probatur quia debet assignari aliquid positivum, in quo consistat; sed aliud convenientius nequit assignari, quam huiusmodi respectus: ergo. Probatur maior, alias deberet consistere in negatione repugnantia, sed non potest consistere in hoc, quia ipsa repugnantia est negatio: ergo potentia ipsi opposita debet consistere in positivo.

H 2

&

Quomodo natura vniuersalis debeat esse vna in multis.

Quam aptitudinem existendi in multis requirit vniuersale metaphysicum.

Aptitudo illa datur à parte rei.

Est respectus aptitudinalis similitudinis.

& non in negatio; quia vniuersaliter quotiescumq; aliqua negatio tollitur, debet tolli per affirmationem, & non per aliam negationem ipsi oppositam; & hinc communiter admittitur quod non detur negatio negationis tanquam quid per se oppositum ipsi, de quo alias.

Dixi: respectus similitudinis aptitudinalis, & non actualis, quia semper natura habet aptitudinem vt sit in multis modo prædicto, est enim proprietas ipsius: sed non semper habet, aut necesse est vt habeat similitudinem actualem, tunc namque tantummodo habet similitudinem actualem, quando alia natura similis ipsi actu existit, sed non est necesse, vt semper actu existat alia natura similis vlli naturæ; & de facto non existit alia natura similis naturæ Solis.

51 Obiicies: si illa aptitudo consisteret in respectu similitudinis aptitudinalis, sequeretur quod non esset distincta formaliter ab vnitatem naturæ: sed hoc est falsum; quia sic frustra poneretur in definitione vniuersalis simul cum vnitatem: ergo non consistit aptitudo naturæ in illa similitudine aptitudinali. Probatur sequela maioris, quia vnitatem naturæ consistit in illa similitudine.

Quomodo distinguatur ab vnitatem naturæ.

Duplex vnitatem naturæ vniuersalis.

Respondetur distinguendo maiorem: sequeretur quod non esset distincta ab illa vnitatem naturæ, secundum quam dicitur quod sit vna natura in pluribus indiuiduis, concedo maiorem; ab illa vnitatem quæ quilibet natura habet secundum se, nego maiorem. Itaque duplicem possumus considerare vnitatem in natura vniuersali, vnam secundum quam est vna in se, & quidem non vna per accidens, sed vna per se, & hæc vnitatem competere naturæ, etiam si non esset possibile aliud indiuiduum quam vnus tantum eiusdem naturæ, & propterea non est vnitatem coincidens cum aptitudine hac, nec cum similitudine aptitudinali. Hæc autem est vnitatem quæ ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine, siue sit de essentia eius, vt est vniuersalis formaliter; siue non sit, sed conditio tantum necessario requisita ex parte fundamenti (de quo parum est curandum) & consequenter non superflue ponitur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine. Alia est vnitatem naturæ, secundum quam dicitur quod natura vnus indiuidui est vna cum natura alterius indiuidui, & hæc coincidit cum illa aptitudine, & superflue poneretur in definitione vniuersalis simul cum aptitudine.

QVÆSTIO IV.

An natura vniuersalis debeat vere posse esse in pluribus.

52 Thomistæ quæ plurimi duplicem considerant naturam vniuersalem, vnam quæ sit vniuersalis ex parte rei & intellectus, vt est omnis illa natura, quæ potest habere à parte rei plura indiuidua, verbi gratia, natura humana, natura equina, natura Solis, quæ licet à parte rei de facto non habeat plura indiuidua, potest tamen de potentia Dei absoluta habere plura indiuidua. Alia secundum ipsos datur natura vniuersalis ex parte intellectus tantum, quæ scilicet, licet non possit habere etiā de potentia Dei absoluta plura indiuidua, tamen ex parte intellectus, quatenus secundum se concipitur conceptu imperfecto, non repugnat ipsi habere plura indiuidua; conformiter ad quam doctrinam dicunt, quod quamuis in ipsorum sententia natura Michaëlis & cuiuslibet Angeli non possit multiplicari numero etiam de potentia absoluta, adhuc tamen est verè natura vniuersalis metaphysicè, non quidem in re & intellectu. Ita Caietanus cap. de specie, & tract. de ente & essentia cap. 4. Sanchez in Logica q. 56. & plures alij, quos citant & sequuntur Complutenses disp. 6. q. 4. Oppositum autem huius sententiæ tenent cum Scotistis recentiores ferè omnes, & nominatim Auerſa q. 8. sect. 4.

CONCLUSIO.

53 Ad naturam vniuersalem requiritur aptitudo ad existendum in multis realiter & à parte rei. Hæc est cum communiori sententia contra Thomistas. Probatur primo, quia quandoquidem Philosophus definiat naturam vniuersalem esse aptam existere in pluribus simpliciter, & posse predicari de pluribus simpliciter, id potius debet intelligi de aptitudine reali, quā de aptitudine illa intellectuali; ergo non sufficit ad naturam vniuersalem,

Vniuersale debet esse in multis realiter.

prout definita est à Philosopho, aptitudo illa intellectualis tantum.

Probatur secundò, quia si sufficeret aptitudo intellectualis tantum, sequerentur duo absurda: primum est, quod natura diuina esset vniuersalis metaphysicè: secundum, quod species infima esset genus metaphysicum: ergo non sufficit talis aptitudo. Probatur sequela, quia nihil impedit quo minus natura diuina sit vniuersalis metaphysicè, nisi quod non possit à parte rei multiplicari numero, & nihil impedit quo minus species infima sit genus metaphysicum, nisi quod à parte rei non possit multiplicari specie; ergo si non requiritur illa multiplicatio à parte rei, potest natura diuina esse verè vniuersalis, & species infima esse genus metaphysicum.

Aduersarij negant antecedens huius probationis, & dicunt rationem cur natura diuina non sit vniuersalis, nec species infima genus, esse quod natura diuina nequeat concipi conceptu etiam imperfecto, quin concipiatur vt indiuidua ac inepta esse in pluribus, & quod species infima nequeat concipi, quin concipiatur vt immultiplicabilis specie.

Contra primò: ideo natura diuina debet necessariò concipi vt immultiplicabilis numero, & species infima vt immultiplicabilis specie, quia verè & realiter à parte rei sunt sic immultiplicabiles, etiam in ordine ad quamcumque potentiam; ergo omnis natura, quæ est à parte rei sic immultiplicabilis numero, nequit concipi, quin concipiatur vt sic immultiplicabilis; aut saltem nequit concipi vt multiplicabilis magis, quam natura diuina & species infima; ergo nulla talis potest esse vniuersalis verè magis, quam natura diuina, aut magis quam species infima potest esse genus.

Contra secundò, quia si potest natura aliqua immultiplicabilis numero à parte rei, vt verbi gratia, natura Michaëlis (in sententia Thomistarum, de cuius veritate hic non est curandum) concipi tamen conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas eius, & secundum quem consequenter ista natura est ex parte intellectus indifferens ad multiplicationem, nulla prorsus est ratio cur species infima, verbi gratia humana, licet à parte rei sit immultiplicabilis specie, non possit tamen concipi conceptu imperfecto, in quo non inuolueretur illa immultiplicabilitas, & secundum quem consequenter esset indifferens ex parte intellectus ad multiplicationem specificam; ergo si illa natura est verè vniuersalis, etiam species illa infima est verè genus, non quidem ex parte rei & intellectus, sed ex parte intellectus tantum.

Confirmatur hoc, quia quando concipio naturam humanam, vt est animal rationale præcisè, non considero ipsam vt immultiplicabilem formaliter; ergo concipio ipsam conceptu, in quo non inuoluitur immultiplicabilitas; & tamen non propterea potest dici, quod sit verè genus, quia à parte rei est immultiplicabilis genere; ergo quamuis conciperem naturam Michaëlis conceptu imperfecto, in quo non inuoluitur eius immultiplicabilitas, non propterea debet dici vniuersalis, si à parte rei sit immultiplicabilis.

55 Obiicies: Natura specifica Michaëlis verbi gratia, concepta, vt est principium propriarum operationum eius, & vt distincta à natura Gabrielis, cæterisque distinctæ speciei, non concipitur necessario vt singularis, & vt sic concepta est determinabilis per singularitatem, quamuis vna tantum esset possibilis; ergo vt sic concepta haberet rationem vniuersalis.

Confirmatur, quia vt sic concepta predicatur formaliter de Michaële; sed non vt singularitas eius, nec vt genus, nec vt proprium, nec vt accidens: ergo vt species, & consequenter vt vniuersale, quia omnis species est vniuersalis.

Respondetur, distinguendo antecedens pro secunda parte: est determinabilis determinabilitate requisita ad vniuersale, nego antecedens; alia determinabilitate, quæ consistet in coniungibilitate eius cum singularitate, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Et si quæras, quænam determinabilitas requiritur ad vniuersale? Respondetur esse determinabilitatem præsupponentem,